Mast.

Garzycki Bonifacius: Stemma et Hon[?]
D. D. Stanislao Martino Sarzy[?]
kowski — Sacrae Canonizatio-
nis S. Joan. Cantii ceremonias
Tarnoviae in sua Collegiata
1775 peragenti.

Poczye № 1937

ILLUSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. STANISLAO MARTINO
In Swieyki
SWIEYKOWSKI

Ecclesiarum; Archi-Cathedralis Leopoliensis Metropolitano CANONICO, Collegiatæ Tarnoviensis PRÆPOSITO INFULATO & OFFICIALI Perpetuo, in Otfinow & Bolesław CURATO

DOMINO MECÆNATI AMPLISSIMO

Sacras Canonizationis S. JOANNIS CANTII Cerimonias unà cum anniversaria celebritate, Tarnoviæ in sua Collegiata 1775to

PERAGENTI.



CARMEN LYRICUM.



Appello veſtram poſthuma ſecula
Fidem probatam; facta perennibus
Notate faſtis INFULATI
SWIEYKOVII bona promerentis.

Vir nactus ingens à Proavis genus,
Verus Paterni Nominis æmulus,
Illuſtribûs cerîs refulgens,
Cujus in ore decor triumphat.

Quin regnat amplîs parta laboribûs
Rotata ſanctæ per Capitolium
Virtutis ad ſummas honorum
Gloria difficilis curules.

Natura raram præſtitit indolem
Muſis amicam, cum quibus optimos
Ætatis exegit juventæ
A teneris ſociatus annos.

Ergo

Ergo Sodali plaudite Litteræ,
Tarnovienſis plaude Colonia,
Vel ipſa cum Muſis Patrono
Plaude tuo Jagelonis Aula!

Quantis cor ejus flagret in ignibus
Amoris erga vos bona Numina!
Quanto colat Divos honore!
Significat celebrata pompa

Divi JOANNIS publica CANTII,
Quem copulavit Cœlituum Choris
Supremus in terris SACERDOS
Ad pia vota Gregis Poloni.

Non invidemus Romuleis ſuos,
Quos larga quondam dextera Conſules
Inſcripſit æternis Probinos
Munificos calamô tabellis.

En INFULATUS largior imbribus
Densîs, catervas non hominum ſolet
Ditare tantùm, ſed Beatos
Divitiîs Proceres adornat.

Non

Non parcit ullis ille peculiis,
Non damnat atras in tenebras opes,
Ut CANTII Nomen decuſquè
Perpetuô celebretur ævô;

Ac ut ſacratum tota fidelium
Propago cultum pectore fervido
Impendat, Hic, qualem decebat,
Sacrificat pia thura Myſta.


Iſtud coloſſos ære perennius
Vir ample factum marmoreos Tuum,
Et omnium pennas meretur,
Quæ referant monumenta chartis.

EPIGRAMMA.

Sint SWIEYKOVI alii, qui Te dum dicere tendant,
Cum priſca laudent nobilitate Tuum
Ingeniũ, mores memorent, quæ cura tuendi
Candoris fuerit, quis probitatis honos
Eſt aliquid majus, mitto hæc: ignoſcite Patres!
Quos pius in Superos hìc ſociavit amor.
Namque Viri laudum pars hæc eſt ſumma, JOANNIS
Hocce coronari quòd Duce gaudet apex;

M. Bonifacius Garycki Phia Dr & Prfr.

Theologia.
S. Scriptura.



Vedrogovii Alberti: Epitome totius veteris
et novi Testamenti carmine elegiaco con-
scripta.